



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XII. In Domin Septuagesimæ, Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. Matth. 20. Arg. Merces operum cumulatissima.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

Pfal. 117. 20. in foffo latere te ipfum reconde. *Hæc porta Domini iufti intrabunt in eam.* Nec folum cum S. Thoma mitte manum tuam in latas ejus fed, perlatus ingredere in corejus, perinde ac ad nidum tuum, nec aliud gefcias, quam cum Christo vivere in cruce, cum eodem mori in cruce.

Quod fi vel femel admiſſus ibi nidulari occæperis, æmulator cætera animalcula, & quodcumque poterit operari manus tua, illuc confer, inibi repone, fanguine continge, & tutare,

inibi foetus tuorum operum educare, & fovere adnitere. In hoc cubiculo te contine, & Patrem tuum, qui videt in abscondito deprecare. In hoc nidulo morate, & immoriare, ac inſtar Phœnicis multiplicato dies, ne fortè egreſſus incidas in ungues Tartarei Accipitris. Ex hoc ne unquã exſudaris toto cordis affectu eſſagita; *O Bone Ieſu exaudi me, inera vulnera tua abſconde me, non me permittas ſeparari à te. Fiat mi JESU. Fiat.*



CONCIO. XII.

IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis. Matth. 20.

ARGUMENTUM.

Merces operum cumulatiffima.

I Vangelicus Paterfamilias, etſi numeroſiffimã gaudeat familia, nunquam tamen animum ab aliis, atque aliis, jam per tuos Oratores Angelos; jam per Apoſtolos, & Eccleſiaſtas, jam per ſemet conducendis avocat. A. Id unicè indolendum, quod cum permulti gratanter ſuam operam locent forenſibus judiciis, ac pompis ſæculi; per pauci ſeſe illi ſincere, ſanctèque ſubarhent, vel ſeridè in vinea ipſius

deſudent. Unde hoc? Numquid levius eſt pondus ſæculi quam vineæ? At ſi vel dimidium laboris illius impenderent; quam conſecrant perditioni, ampliffimam à munificentiffimo Patrefamilias referrent mercedem, & citra dubium cœleſtis patriæ incolatu poterentur. Numquid fortè minus honeſta ſervitus vineæ Domini eſt, quam mundi immundi? At nemo ignorat ſervitutem à dominio decus ſuum mutiare, & quantò illud illuſtrius, atque auguſtius, tantò itidem famularum. Numquid de mercede agitur? (*Hæc enim*

enim imprimis animum ad labores indefessos acuit.) At nemo in remunerando liberalior Evangelicò Patrefamilias. Hic enim tantam dependit mercedem, quantam vix animus poterit capere sufficit. Quod cum haud modicum momentum habiturum ad excutiendam nostram vecordiam mihi persuadeam, planius facere, atque evolvere adnitur.

PARTITIO.

II. Operationes nostras, quocunque intuitu, ac modo consideremus; vel ut præcise à corde seu bona voluntate eliciuntur; seu bona voluntate eliciuntur; seu prout ore proferuntur; seu ut corpore insuper obstetricante perficiuntur, inestimabile trahunt post se meritorum pondus.

S. I.

Opera minima superaffluenter remunerata.

III. Tanti est aquò Deum meriti opus quandoocunque in gratia factum, ut si pro eo rependerentur universi orbis imperia, & quidquid in eis est gloriæ, ac splendoris, valoris, ac divitiarum, non adæquaret pretium ejus. Tantum est, ut excedat, atque exuperet valorem siderum, solis fulgorem, trahatque secū debitū prope infinitum, à solo Numine, vi liberalissimæ promissionis & acceptationis suæ solvendum. Neque ullum tam exile est, si ve in Prædicamento Actionis, si ve Passi onis, cui in hac vita gradus gratiæ, in altera gradus gloriæ non respondeat.

IV. De Actionibus restatum fecit ipse Dominus calamo Cancellarii sui D. Matthæi: *Quicumque potum*

dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigide, tantum in nomine discipuli, non perdes mercedem suam. In quibus verbis notandum non dixisse *Calidam*, ne in ea elargienda paupertatis, ex penuria lignorum, aut lebetis prætentio quaereretur. *Frigidam* dixit, quæ obvia est; ac nullius pretii, quò constaret rem quantumvis vilissimam, laborem quemvis minimum, donum levissimum amore ipsius, aut cuiuspiam etiam servi illius factum è supernæ patriæ gazophilacio fore compensandum. *Frigidam* dixit, quod forsitan minus etiam ferventes actiones suâ mercede haud quaquam destituantur. Si itaque Numen reperdit rem tam abjectam, tam obviam, opus frigidum, quanto liberaliùs ferventissimum, atque eximium.

Matth. 10. v
42.

V. Pronum id est colligere ex ausu D. Petri Apostolorum Principis: Hic posteaquam te servitio Domini addixerat, præsumpsit confidentiâ plus quam servili eundem accedere; & hunc in modum expostolare: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid igitur erit nobis? quid nobis daturus es mercedis?* Quis hic non putasset primâ fronte repositurum non sine verborum sulphure Dominum: Petre, quantum quaeso illud est, quod reliquisti? Cogita quis, qualis fueris, quo nido prodieris, ac socij tui. Non eras de cœta illorū, qui opes immensas in gazis suis strangulant, aut possessionibus basilicis abundant. Inter piscatoriam scapham ne utquam abstrudi solent mūdī cimelia, ac decora. Ret e quod unum extrabat, vile erat, ac putridū, ideoque tentidē à te refarciri debuit

Apostolorū
merces

Matth. 19. v
27.

Remi-

Remigem te non Regem adlegi; nec in stagno Tiberiadis mundum demeristi, quem in lagena extractum cum tuis comitibus in litus amore mei projiceres. Quid ergo te jactas, quod malcum reliqueris, quem naufragium maris, & Laris prope nudum destituit. In gratiis debueras reponere, quod ad servitia mea admissus fueris. Obtumesce potius, ne ruborem pro purpura induas.

Ita planè convitari eundem dominus potuisset. At ille perinde ac si rem magni momenti præstitisset, respondit: *Amen, amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regenerationem, cum sederit Filius hominis in sede majestatis sua (quando & mortui de corruptione resurgent incorrupti) sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quantum hoc? quam insolitum, atque inexpectatum præmium, ut pro reti cœlestes divitias, pro pisce Deum nundinetur, pro modico servitio sempiternam occupet quietem? Repetundarum argueretur Deus pro orbe terrarum à remige, nisi tembo cœlum oppignerasset, & Curuli sequelam illius donasset. Tanti Deo stat unum lacerum rete pro se derelictum; tam munifico stipendio minimum rependit servitium.

VI. Pronum id ipsum ex alio Petro, cognomento Telonario conjicere; viro imprimis tam tenaci, ac immisericordi, ut prius stipite quem vis pauperem, quam stipe donaret. Evenit itaque ut prope agasonem mulum onustū panibus agentē incedēs, elemosynā importunus precib⁹ exorare

tur. At ille indignabūdus quū circūspiceret, fremeretque: Nonne est hic lapis quispiam, quo importunum hunc interpellatorem abigam? arreptum de mulo panem in eum ejaculatus est. Quid ex tali quæso stipe omnis concipiendum? Ego dicerem non beneficium præstitisse, sed male ficio affecisse pauperem. Et ecce panis hic vel ab invito extortus, tanti apud Deum momenti erat, ut per eum gratia ad sinceram conversionem donaretur. Quippe tertio abinde die gravissimo confictari morbo caput, in quo extra se positus vidit se sisti tremendo tribunali Domini, omniaque sua scelera in una lance appendi à dæmonibus; alteri ad stare viros in candido amictu, & nec quicquam invenire, quod in illa appenderent operum sanctorum. Tum unus ipsorum, En panis hic est, quem triduo abhinc quamquam invit⁹ pauperi obstruxit nec in super quidquā aliud totā vita sua est elargit⁹. Hūc imponentes lanci deprehenderunt esse exigui ponderis, intuitu alterius, in qua flagitia ipsius librabantur. Et conversi ad eum dixerunt: Ito, & plura appone, quod si neglexeris, scito te à Mauris hisce ad sempiterna raptandū supplicia. Evigilans itaque, & somnium neutiquam vanum fuisse expendens, tam liberalis subinde evasit, ut cum sua omnia in pauperes erogasset, se ipsum in mancipium venundari fecerit, ac pretium in pauperes erogari. Ita Deus O. M. & largitor bonorum omnium, micam, & haustum frigidae, pilum aut filum pauperi donatam; æternæ retributionis compensat mercede.

VII.

Matth. 19. 21
23. 29.

Petri Telonarii Elemosyna qualis

Metaph. in Vita S. Io. Eusebii & Surin;

Tribulatio-
num merces
2. Cor. 4. v.
17.

VII. De Passionibus verò nostris ad stuporem differit Doctor Gentium in Epistola sua altera ad Corinthios ita scribens: *Quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostre, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* In quo acroamata elegantissimè parvitati operis opponit magnitudinè laboris. Etenim quid minus atque momentaneum opus, & leve; quod nimirum nec in se grave, nec ultra momentum perdurat? Quid item majus, atque æternum gloriæ pondus, id est immensum, atque incomprehensum gloriæ pretium? Et id totum pro momentanea, ac levi tribulatione dispensatur. *Quod in presenti est momentaneum &c.*

Etenim Filius Dei assumptis nostris miseriis, divinum quodpiam esse illis contulit, in quantum erant actiones Verbi salutem nostram in illis operantis, & in quantum per ejusdem gratiam exercitæ dignificantur, suntque à nobis tanquam à membris ipsius.

Eapropter Sancti Dei, si in æterna beatitudine dolore quopiam confici possent, ille ex eo redundaret quod facturam tanti proemii, ac stipendii, quod levi labore, ac patientiâ consequi poterant, neglexerint, tamque modicâ expensâ cœlestes divitias haud cumtulaverint. Idcirco sanctâ quadam æmulatione incenduntur, ac terque quaterque felices nos proclamant, quod hic brevi, & levi opere, minima corporis, ac illi nostri afflictatione, ad immensum gloriæ pondus ingentem etiamnum addere va-

leamus cumulum, *Quod in presenti &c.*

Et nos cheul ac si tempus foret recreationis & non studiorum; vacationum, & non laborum, placidissimè indormimus; afflictiones cane, & angue pejus execramur, labores quovis in vinea Domini pro virili ab humeris nostris removemus, sinimusque tempus nullò unquam ævò irrevocabile in cassum elabi. O nos verè aut insipientes, quos rerum pretia fallunt; aut ignavos institores, & operarios, qui levi impendiò tantum pondus meritorum nundinari negligimus? Nisi forte & hoc momentum cuiquam videtur longævum & hoc leve habeatur grave, ut mortificationem JESU in corpore nostro circumferamus. Hos quicumque ii sunt, leviori adhuc laborum impendiò, ad viam Domini evoco.

§ II.

*Verba quævis apud cœlestem
Patrem familias pondus
habent.*

VIII. Jam quid levius, quid fugacius verbo? Ut statim levi producit, ita illico evanescit. At verò apud Numen optimum, immensum sæpe obtinuit minerval. Nunquam tam profusâ manu oratorum insigniorum, aut Vatum, remunerati sunt. Principes hujus sæculi lucubrationes, atque illud suorum clientum minimam orationem, aut dictionem.

Sedente pro Tribunali Pilatò, totò quantò anxio, & hinc

N

quidem

Deus Verba
nostra re-
muneratur

quidem innocentia Christi suspensio; inde clamoribus Judæorum ad crucem illum deposcentium exanimatio, Uxor ipsius (ut creditur à quibusdam) divinitus immisso somnio admonita, denuntiavit eidem Christi innocentiam, hortataque est stilò prorsus Laconicò, quatenus inhiberet attentatum scelus, & lapsabundam fulciret innocentiam. *Nihil tibi, & justo illi.* Cave ne si infontem opprimas, te ipsum involvas. Hoc erat obsequium hujus Dominae, per medastinum quempiam Christo apud maritum præstitum. Et quid rependit pro eo æther? Magna prorsus, atque inexpectata, omnemque excedentia fides. Quippe contestante SS. Patrum senatu, Christum verum fuisse Messiam subinde professa est, æternaque compos effecta beatitatis.

*Latronis
oratio ef-
ficantur
Luc. 23*

IX. Eadem brevitate Dominum in cruce Latro invocavit, enixè postulans, quatenus in regno suo illius reminisceretur. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. q. d. Credo Domine te verum Regnum, instar Codri pro propulo tuo occumbentem. Credo te Regem Regum, & Dominum dominantium. Credo regnum tuum non esse de hoc mundo, sed de alio, itaque Domine in illo tuo regno memento mei. Ecce hæc Laconica oratio tauri ponderis apud Regem dolorum habita est, ut eidem illico reposuerit: *Hodie mecum eris in paradyso.* Quia tu me confessus es Dominum in tormentis cotam hominibus, ego te confitebor coram Patre meo in gaudiis paradisi; nec in multos annos, mensive differam*

præmium confessionis tuæ, sed hoc ipso vespere, te participem regni mei efficiam: *Hodie mecum eris in paradyso.* Qui hodie, & hac hora mecum es in cruce, socius passionis, proximâ futurus es socius consolationis. O faustam humano generi vocem, cui post conditum hominem, nullam parem emisit Deus; quamvis sæpius amicissimè locutus legatur. *Hodie mecum eris in paradyso.* Ita per unum momento in momento latroni ostium apertum ab illo, qui si aperit, nemo est, qui claudat; ab illo, quò olim obfirmante paradysum per tot sæcula, nemo reteravit. Latro olim ejectus fuit, qui divinam scientiam ex vetita arbore, quasi pendentem se rapere posse, aut credidit, aut credenti se participem reddidit uxori. Latro nunc primum post tot annorum millia introducitur, qui incredibili quadam fidei scientiâ pendentem è ligno vitam in ipsa profundissima mortis umbra agnovit, ac liberè confessus est.

X. Nec vos latet unicus regii Psaltis versiculò *Miserere mei DEUS;* complures gratia donatos, ipsumque Luciferum hoc unò hemistichio cælum mereari potuisse, si per superbiam potuisset. Sed plus est, quod idem Psalteris verbò unicus *peccavi,* obtinuit. Cum enim ob scædissimum adulterii crimen, ac infandum homicidium ad sempiternos rogos damnandus esset, eò ipso delictorum veniam, Numinis offensi gratiam, opes insuper amplissimas, & cælestem gloriam est indeptus. En ait iusta cum admiratione D. Ambro-

*Orationum
Ejacularum
vis*

s. Ambr. l. 2, de pœnit.
 Ambrosius) quantum tres syllaba va-
 leant peccavi. An quidquam levius ex-
 cogitari poterit, quo regnum cœ-
 lorum ematur? Et hac itidem de
 causa superni indigites, tam sanctâ
 ardescunt, & inflammantur æmu-
 latione, ut si indultum esset, illico
 ad augendum pondus meritorum
 suorum, sarcinam corporis iteratò
 induerent.

*Paul. Barris
 in Anno
 Sancto 1,
 NOV.*

XI. P. Paulus Barrus refert
 Virginem Deo dicatam in Gallijs
 lethali morbo fuisse correptam,
 quæ per septem supremos vitæ dies
 varijs doloribus, convulsionibus,
 angustijs in tantum conflictata, ut
 vel adstantibus commiserationis la-
 chrymas excirer. Hæc ubi è vivis
 emigravit Abbatissæ suæ apparuit,
 deque salute sua certiozem reddidit;
 unâque edocuit, tantam Deum o-
 peribus justorum etiam minutissimis
 mercedem referre, ut si copia fie-
 ret ad vivos redeundi, id unicum
 in vobis habitura esset, omnesque
 dolores, ac cruciatus, quos extre-
 mis vitæ diebus, gravissimos perfec-
 ta est, subitura; hac solum spe,
 ut vel tantillum gloriæ referret,
 quantum quis consequitur, vel u-
 nicum salutationem Angelicam, e-
 tiam mente nonnuquam exerran-
 te recitando. Quis nunc pretium,
 ac præmium æstimare poterit eo-
 rum, qui indies multa rosaria e-
 volvunt, qui non centies duntaxat,
 sed vel millies per Gaculatorias
 preces mentem ad Deum attol-
 lunt, qui omnes prope anhelitus
 suspicijs miscent.

*Merces o-
 rati. ni. &
 operum
 quanta*

Sed & hoc forsitan mea Philo-

thea tibi grave accidit, & inter
 irrequietas curarum vicissitudines ti-
 bi eadem excidere obtendis. Sit
 ita, necdum tamen causam justam
 nata es, ob quam te à labore vi-
 neæ subducas, Leviorem etiam
 num assigno.

§. III.

*Bona Voluntas in cœlis coro-
 natur.*

*Voluntas
 siat profa-
 et*

XII. Si quando opere ipso præ-
 stare haud sufficimus, quod inten-
 dimus; voluntate, seu pijs d sidi-
 rijs suppleamus, Voluntas ea pia
 & efficax coronatur pro factò. Ip-
 sa omnem dignitatem, ac perfe-
 ctionem operi externo communicat
 & vitiatâ ipsâ, intercedit una de-
 cus omne, ac meritum. Actus
 externus ex se nec vitam, nec per-
 fectionem, nec meritum habet, ni-
 si ab interno voluntatis actu, tan-
 quam vero, proprioque fonte om-
 nis boni operis promanet. Ergo
 si fortè voluntas ab actu exteriori
 consummando impediatur, & ipsa
 in se perfecta fuerit, merebitur id
 omne, quod alioqui cum externo
 actu mereri posset. Ergo deside-
 rium operis, acceptabitur pro ipso
 opere.

XIII. Questionem hanc multò
 ante versavit vetustissimus Tertulia-
 nus, deijs imprimis, qui gestiunt
 conferre eleemosynam, & interim
 stipem emendicare coguntur; vel
 qui ambiunt splendidas Numini e-
 vehere basilicas, & ipsi vix humili
 inumbrantur tugurio; vel optarent
 N 2 sanguinem

sanguinem suum pro Deo effundere; illum non uno sed millenis conferre precordijs, cum interea occasio profundendi sanguinis calva sit, Quæritur hac super re præfatus Author an huiusmodi desideriorum vir debeat facinoris sui voluti præmio privari? Et respondet: *Nec tunc quidem privatur, quam aliqua difficultas perpetrationem ejus interceptit.* Ipsa enim voluntas sibi imputatur, nec acculari poterit per ullam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat. Voluntatis enim nostræ tanta est capacitas, vastitas, ac potestas, ut quantumcunque intenderit, consequatur. Unum enim, idemque in nostra voluntate sunt, quidpiam serid, ac efficaciter intendere, & eodem pertingere. Itaque si voluntas libera, ac beneplacens Deo extendat sese desiderijs, ac intentionibus suis ad decem duntaxat gratiæ gradus, actio ejus tantumdem graduum reputabitur. At si se extendat ad centum millia, etiam actione centum millia complectetur. siquidem Voluntatis intendere est actione pervenire; ita, ut ulterius nequaquam actione attingat, quam intenderit, nec ulterius intendat, quam pertingat.

*Voluntatis
caacitas*

Quod ut Voluntati agnatum ita ab alijs potentijs omnino alienum. Non enim possumus oculis, & auribus præscribere, ut non nisi ad tantum audiant spatium videantve, quam sapius citra, sapius ultra ex-

tendantur, quem velimus. At voluntatis intentio, & ejusdem actio in tantum commensurantur invicem, ut altera alteram nec quicquam excedat. Unde, ut dixi, tantum lucratur, tantum ditescit; & meretur operans, quantum vel sola actione (si exterius possibilitas, aut occasio desit) interna intendit. Quod si ergo in actione una minima efficaciter intendat quispiam, Deum summum Bonum, eo quo par est cultu venerari, adorare, diligere; si eadem pro beneficijs sibi, totique universo, sive naturalibus, sive supernaturalibus collatis gratias agere; si quidpiam postulare, aut impetrare à Deo, si satisfacere pro peccatorum suorum, vel aliorum pœnis; si supplere imperfectiones, omissiones, ac alia debita; si mereri gratias actuales, & habituales; si augmentum charitatis Dei, & proximi, si alia cupiat juxta intentum, ac beneplacitum Dei attingere tantum præstat, quantum si diversis actibus cum una simplici intentione ea perageret. Nec enim quantum, sed ex quanto Deus considerat; & mentem, non mentum aspicit, & coronat.

XIV. Liquidum id evadet ex heroico Patriarchæ Abraham facinore, seu potius ex ardente ad immolandum filium suum desiderio; quod ex prompta voluntate parendi conceperat, sed ab executione ejusdem cœli-

*Abraham
placuit so-
lo deo esse*

sus

Gen. 22. 16

tus deterritus est. Quid enim de eo statuit Dominus? Audite: *permet ipsum, inquit, juravi, quia fecisti hanc rem, & non perpercisti. Vnigenito Filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in litore maris, benedicentur in semine tuo omnes gentes. Quia fecisti hanc rem, ait, cum tamen re ipsa non obrulerit, nec opere ipso sacrificium obedientiæ compleverit. Quia nimirum quantum ad voluntatem attingeret, extiterat dexteram Patriarcha, & pet cervicem filii traxit gladium consummatumque obtulit holocaustum.* Hinc Chrysostomus: *Considera Dei misericordiam; Non perpercisti ait filio tuo propter me. Attamen vivum ipsum reduxit. Non eventum considerat, sed voluntatem, qua faciebat mandata citra ratiocinationem curiosam. Ea propter Dominus quasi de sacrificio consummato laudat justum: Quia fecisti hanc rem, &c. Homo, eò quod interiora minime pervadat, manus & opus pensat, quod videt at Deus qui intuetur cor, & renes rimatur, solo affectu, si verus est, contentatur. Si Deus egestate quæpiam laboraret, forsitan non exaturaretur nostra voluntate, quemadmodum mendicabulum non explet panis desideratus; sed datus, & masticatus. At cura bonorum nostrorum non egeat, cum ejus sit orbis terrarum, & universa, quæ in ea sunt, nec quicquam aliud sæpe, præter bonam efflagitat voluntatem. Hanc ille amplectitur, hanc remuneratur, hanc pro facto computat, imprimis u-*

bi factum excludit impossibilitas, aut alia necessitas. *Quia fecisti hanc rem &c.*

XV. Compertum id probe erat tribus illis pueris à Nabuchodonosore in clibanum coniectis. Etenim orationes suas, gemitus & suspiria, pro sacrificiis, & holocaustis, quæ offerre nequiverant, acceptari postulabant: *Non est, ait omnium nomine Azarias in tempore hoc Propheta, nec holocaustum neque sacrificium, nec oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam. libentissime tibi Domino Deo nostro pro facultate nostra pinguißima quæque armenta litaremus, sed modus, ac possibilitas nos destituit. Quid ergo? In animo contrito, & Spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi. Quid est, sic fiat sacrificium nostrum, nisi quia deest nobis facultas litandi; oratio, ac desiderium nostrum pro sacrificio, ac holocausto suscipiatur. q. d. Tu Domine, qui corda nosti omnium, & pia desideria pro ipso coronas opere, has orationes, hos gemitus loco incensi, & holocausti millenorum arietum admittite, quæ tibi, si impossibilitas non premeret, maxima devotione consecrassemus. Sic fiat sacrificium nostrum, &c.*

XVI. Quadam festivitate præsens aderat Dominus solèniotibus Judæorū

N ; obla-

S. Chrysost.
hom. 47. in
Gen.

Dan. 3. 28
29. 30.

Ibid.

Vidua minuta quanti estimata

Marc. 12

oblationibus, in quibus principes magna dona persolvebant, aurique pondera dicabant; alii pro sua tenuitate siclos, & drachmas, vidua quædam obulos binos devovit. Vidit ea munera Dominus, & viduæ minuta omnibus aliis donis prætulit: *Sedens IESVS contra gazophilaceum, & multi divites jacebant multa. Quanta cum magnificentia, ac discrimine? Cum venisset autem mulier una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, & convocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilaceum. Scitote, quæ ratione id fieri potuerit, quando illa duo duntaxat minuta obrulerit, alii talenta? Cum illa quadrantem, isti coronatos & aureos? Nonne inter hæc munera ingens differentia? Cur itaque non æquale duntaxat quodpiam, sed supereminens sacrasse dicitur?*

S. Hier. b. 1. Respondet brevibus huic quæstioni D. Hieronymus, & ait: *Non quantum, sed ex quanto considerat Deus. Non tantopere donorum trutinat magnitudinem supremus Judex, quam animorum ponderat a-lacritatem; plus ille appendit quantitatem devotionis, quam muneris, plus pensat affectum, quam censum. Numquam coram illo, est vacua manus à munere, si arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Tantum illa dispensat, quantum hæc ordinat.*

Non inficiamur, quod juxta proportionem facultatum plus itidem miserit hæc vidua pauper, quam divites; siquidem isti quo abundabant, iderogabant; illa verò omnes suas profudit facultates, quia nihil omnino sibi retinuit.

Nec contradico, quod præcise secundum materiam plus isti, minus illa offerebat; sed præponderabat in illa affectus non singulis tantum, sed omnibus. Quidquid in simul omnes offerabant id ipsum in in voto sola ipsa dedicabat. Si tantum abundasset, quantum cæteri, plus omnibus consecrasset. Si milliones ad manus habuisset, eos omnes in cultum Dei profudisset.

O quoties id ipsum etiamnum evenit, multi multa consecrant, aut saltem se consecrare imaginantur; at sapius unius mendicabili præponderat lucellus ex ore sibi subtractus. Deus enim, qui inspector est cordium non exteriora duntaxat oblata arbitratur, sed multo maximè affectum offerentium, quod quia excelluit pauper vidua, palmam tulit de omnibus.

Quantumcunque enim offerre voluit, tantum obtulit, non quantum, sed ex quanto considerante Deo. Quod si itaque intenderimus ad ea, quæ divites in ære contulerunt, pondus quodpiam majus deprehendemus, at si ad alias circumstantias oblationis nos obver-

obvertamus, viduæ primas conferamus necesse est.

XVII. Quæ cum ita sint, id unum mihi restare videtur, ut remissos quosque in servitio Domini ore cœlestis Patrisfamilias alloquar: *Quid hic statis tota die otiosi?*

Hic in loco tam laborioso, periculoso, fructuoso? Hic ubi dies merendi, dies fori, & nundinarum, ubi prostat officina veniæ, & gratiæ. Hic in vinea seu Ecclesia Domini, ubi non nisi seduli deberent esse cultores.

Quid hic statis, Via cœlorum patet, janua illorum aperta est. Quid ergo statis? Tanta vos gloria manet & statis, tantum præmium repositum & hæretis. Cur in bona opera non incumbitis? Cur pœnitentiam non agitis? Cur orationi non instatis? Cur suppliciorum, & præmiorum æternitatem non perpenditis?

Quid hic statis tota die, id est totâ prope vitâ otiosi, vobis nihil fructificantes, proximo non subvenientes, Deo non inservientes, hostibus non resistentes, futura non providentes? Si culpabile est stare aliquo tempore languidè, ac solutè, quid erit totam diem, totam ætatem, in lentitudine, ac veterano traduxisse?

Quid hic statis tota die otiosi & jocos somnis, nugis, inertia diem traducitis? Sic miseri animas vestras depreiatis, ut cum menses integros vanitati impendatis, diem, aut horam animæ denegetis? Eja vel semel socordiam excutite, & alacres ite in vineam Domini Dei nostri. Si Summatum terrenorum quisquam inveniretur, qui familiæ suæ quosvis gressus, quosvis nictus oculorum, quævis animæ suspiria, qualvis cogitationes de se, aut de rebus suis habitas certo pretio rependeret. quis ejusdem mancipari abnueret servitijs? quam avidè ad ejusmodi aulam universi advolarent? & ecce Evangelicus Paterfamilias is est, qui omnia opuscula nostra computat, qualvis intentiones redonat.

Ite ergo, quia valde periculosum, ac dispendiosum est morari. Ite quia vos vocat Dominus, Creator, ac redemptor vester. Ite quia ab ipso baptismo conducti estis. Ite quia instat nox in qua nemo operari poterit. Ite quia quod justum est dabit vobis; immo minimos vestros nutus, & nictus, minimas cordis motiones immensâ cumulat mercede. Quam nobis largiatur, qui nos gratiosissimè conduxit Amen.

* * *
* * *
* * *

CON-